

Iud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si fore exhibita, vel ostensa. Dat. Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Junii MDCLXXXVII. Pontificatus nostri anno Undecimo.

CLXXXIX.

Prohibetur, ne extrahantur Libri Musicales ex Archivio Capellae Pontificiae.

Collegium Cantorum Capella erectum fuit a Sixto V. Const. ed. 1586. Sept. 1. Pont. 2. Et ab Alexan. VIII. Const. ed. 1690. Oct. 21. Pont. 2. edita fuere nonnullae Ordinationes circa Libros ejusdem Capellae.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM sicut dilectus filius modernus Magister Collegii Cantorum Pontificiae Nostrae Capellae Nobis nuper exponi fecit, occasione Inventarii Librorum Musicalium ad dictam Capellam spectantium, non ita pridem per ipsum confecti, plura dictorum Librorum folia, in quibus diversa Misarum primordia descripta erant, seu etiam in quibus figurae nonnullae assabre, & singulari artificio descriptae reperiebantur, ac forsitan integra Volumina ex Archivio, seu Custodia dictae Capellae in grave ejusdem praedicti temere sublata fuisse repertum fuerit: Nos ejusdem Capellae indemnitati, cuius cura strictiori jure, Nobis incumbit, ac dictorum Librorum conservacioni quantum cum Domino possumus benigne consulere, nec non ejusmodi malis in posterum occurrere volentes, ne de cetero quisquam quavis auctoritate, vel superioritate, aut officio fungens libros Musicales, quinterniones, chartas, & alia folia quaecumque, sive impressa, sive manuscripta, tam haecenus in Archivio, seu Custodia hujusmodi pro servitio dictae Capellae collocata, donata, seu alias assignata, quam in posterum forsitan collocanda, donanda, & assignanda sub quovis quaevis colore, praetextu, ingenio, causa, ratione, & occasione, praeterquam ad effectum illos, seu illa ad supra dictam Capellam pro usu Cantorum praefatorum deferendi ex Archivio, seu Custodia hujusmodi extrahere, & asportare, seu ut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu praesumat sub excommunicationis latae sententiae per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis poenis Apostolica auctoritate tenore praesentium interdictimus, & prohibemus.

S. 1. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

S. 2. Volumus autem, ut praefato usu finito, Libri praedicti in Archivio, seu Custodia hujusmodi sub poenis supra dictis illico reponantur; utque praesentis prohibitionis exemplum valvis Archivii, & Custodiae hujusmodi, seu alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni possit, continuo affixum remaneat.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XV. Oct. MDCLXXXVII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Causa prohibicionis.

Prohibicio sub poena excommunicationis latae sententiae.

Clausula.

Conceditur Priori Generali Ord. Carthusien. facultas absolvendi in foro conscientiae etiam per alios suos Monachos a casibus reservatis in Bulla Coenae Domini quoque contentis. Dat. 18. Oct. 1687. An. 12.

De alio privilegio hujus Ord. vid. Constit. ed. 1682. Sept. 11. P. 8.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supremi Apostolatus Officium humilitati Nostrae divinitus commissum postulat, ut Religiosarum personarum, earumque praesertim, quae in agro sanctae solitudinis, cui benedixit Dominus, mundanis abjectis illecebris, devotum, ac sedulum exhibent Altissimo famulatum, paternam curam gerentes, ad eas peculiari muneris nostri partes intendamus, quae spirituali earum consolacioni, quietique Religiose conducibilia fore in Domino arbitramur.

S. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Prior Generalis Ordinis Carthusien., quod in dicto Ordine semper bona fide creditum fuerit Priorem Generalem pro tempore existentem ipsius Ordinis ex privilegio plurium Summorum Pontificum, habere facultatem absolvendi personas sui Ordinis a quibuscumque excessibus etiam in literis Apostolicis, quae in die Coenae Domini quotannis legi, seu promulgari consueverunt, eumque hanc facultatem alius subdelegare posse, quodque ita huc usque in eodem Ordine observatum fuerit; verum quia Congregatio particularis nonnullorum Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium a Nobis specialiter deputatorum, censuit dictum Priorem Generalem pro tempore existentem hujusmodi facultate uti non posse, & ab ea super hoc emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Monet Sacra Congregat. tam Reverendissimum Patrem, quam reliquos Superiores, & Monachos Ordinis, ipsos in vim Privilegiorum haecenus Ordini Carthusianorum concessorum, nullatenus posse absolvere a casibus in Coena Domini, & aliis Papa reservatis, proindeque supplicandum Sanctissimo pro necessaria facultate concedenda Reverendissimo Patri pro tempore existenti, etiam cum facultate subdelegandi, & cum specifica derogatione dictae Bullae, nec non cum clausula, quod non censetur per annum promulgationem dictae Bullae revocatum hujusmodi Indultum, nisi facta specifica mentione Carthusianorum &c.

Die 29. Maji 1687. -- Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione &c. Oratoris precibus benigne annuit. Romae &c. -- G. Cardinalis Carpineus -- B. Brancatius Secretarius. -- Nobis propterea dictus Modernus Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

S. 2. Nos igitur, qui audita relatione Congregationis hujusmodi petitis dicti moderni Prioris Generalis dudum annuendum duximus, eundem Priorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis

Exordium.

Species facti.

Decretum Congregationis particularis.

Approbatio Pontifici re-lati Decreti.

Preces Prioris Generalis.

nis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem moderno, & pro tempore existenti Priori Generali ordinario praefato, & per se, vel alium, seu alios, quos ad id subdelegandos duxerit, dicti Ordinis personas ab omnibus excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, ac casibus etiam per Literas Apostolicas in die Coenae Domini legi, & promulgari solitas, aut alias quascumque nostras, & Romanorum Pontificum Constitutiones quomodocumque Nobis, & Sedi Apostolicae reservatis, poenitentia salutaris, & aliis, quae injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conscientiae tantum absolvere, & liberare valeat, perpetuis futuris temporibus, facultatem concedimus, & impartimus.

S. 3. Decernentes praesentes literas perpetuo firmas, validas, & efficaces esse, & fore, itaut illae per annum promulgationem dictarum Literarum Apostolicarum in die Coenae Domini publicari solitarum numquam revocatae censeantur, aut censei possint, vel debeant, nisi facta specifica mentione Carthusianorum.

S. 4. Non obstantibus praefatis in die Coenae Domini legi solitis Literis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, quibus omnibus, & singulis illarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, harum serie ad praemissorum effectum tantum, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Oct. MDCLXXXVII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CXCI.

Damnatur Propositiones, & Libri omnes, ac Manuscripta Michaelis de Molinos.

Plurimae aliae propositiones damnatae fuerunt Constit. ed. 1679. Mar. 4., P. 3. Et Inn. XII. Constit. ed. 1699., Mar. 12., P. 8. extat damnatio cujusdam libri gallici.

INNOCENTIUS EPISCOPUS EPISCOPORUM

Ser. Serv. Dei Ad perpetuam rei mem.

Alestin Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere post lapsum primi nostri Parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, Carnem fumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostrae affixo in testimonium suae in nos charitatis se se Hostiam viventem Deo pro Nobis offerre dignatus est, mox rediturus in Caelum Ecclesiam Catholicam sponfam suam tanquam novam Civitatem Sanctam Hierusa-

Concessio praedictae facultatis.

Clausula.

Dat. 20. Nov. 1687. An. 12.

Exordium.

lem descendente de Caelo non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctam in terris relinquens, armis potentiae suae contra Portas Inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam ab ipsius ore hauritam sanctam, testamque custodirent; ne oves pretiosae suo Sanguine redemptae pravarum opinionum, pabulo in antiquos errores reciderent, quod praecipue B. Petro mandasse Nos sacrae Literae docent; cui enim Apostolorum, nisi Petro dixit, Pasce oves meas, & rursus, Ego rogavi pro te, ut non desiciat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos? Quare Nobis qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei Omnipotentis consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus semper firmum in animo fuit, ut Populus Christianus eam sectaretur fidem, quae Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & nunquam interrupta traditione praedicata fuit, quamque ipse usque ad Saeculi consummationem permanentem esse promisit.

S. 1. Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset quemdam Michaellem de Molinos prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quae praetextu Orationis quietis contra doctrinam, & usum a Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiae primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Christiana pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quaeque inducebant: Nos, cui cordi semper fuit, ut fidelium animae Nobis ex alto commissa purgatis pravarum opinionum erroribus ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis praecedentibus indicis praedictum Michaellem de Molinos carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum in voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam S. Spiritus assistentia, cum praedictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerant pro suis recognite, & de quibus Propositionibus tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis ipse convictus, & respective confessus fuerat, ut latius in processu, & Decreto de mandato nostro lato die 28. Augusti praesentis anni 1687. devenire, ut infra decrevimus.

Species facti.

PROPOSITIONES.

- 1. Oportet Hominem sibi potentias annihilare. Et haec est via interna.
2. Velle operari active, est Deum offendere; qui vult esse ipse solus agens; & ideo opus est, se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.
3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.
4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in Nobis, sine Nobis.
5. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum

K k k suum

quod ipse sit, qui revelat, & Anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vite ordinariæ in hora mortis se delusos inveniunt, & confusos cum omnibus passionibus in alio Mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil, nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec Anima se amplius commoveri finit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, Animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est, & mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad huiusmodi statum pervenitur non, reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna se junctæ est a Confessione, a Confessariis, & a Casibus conscientia, a Theologia, & Philosophia.

60. Animabus proventis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ. Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipsæ tanta gratia præservante, quantum in Sacramento recipiunt; & ideo huiusmodi Animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimmo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi. Primo, quia non habet fidem adeo puram. Secundo, quia non est adeo humilis. Tertio, quia non adeo curat propriam salutem. Quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Prepositis obediendum est in exteriori, & latitudo voti obedientia Religiosorum tantummodo ad exteriores pertingit. In interiori vero aliter res se habet, quo solus Deus, & Director intrant.

66. Rifu digna est nova quædam Doctrina in Ecclesia Dei, quod Anima quoad internum, gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, Anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico, doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam

tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis; & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis; & propriis Animabus præjudicat his deceptionibus, & simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistole Directoris quoad internum Animæ, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae.

Quas quidem propositiones tanquam hæreticas, suspectas, & erroneas, scandalosas, blasphemias, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinae relaxativas, & everivas, & seditiosas respectivè, ac quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis concessa pariter cum voto eorumdem Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscriptimus, & abolivimus: deque eisdem, & similibus omnibus, & singulis post hoc quoque modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, & contrafacientes omnibus Dogmatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & Officiis ipso facto perpetuo privamus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis, & a Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi, Præterea eodem Nostro Decreto, prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos, vetuimusque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis Locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneantur sub eisdem pœnis superius insertis, qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igne comburant, & comburi faciant. Tandem, ut prædictus Michael de Molinos ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta de debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem, plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis filiis Consultoribus Nostri S. Inquisitionis Officii, in S. Theologia, & in Jure Pontificio Magistris, cum eorumdem Ven. Fr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michael de Molinos tanquam reum convictum, & confessum respectivè, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem in pœnam arcti, & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratone de formali per ipsum emittenda servato Juris ordine damnavimus: mandantes ut die, & hora præfigendis in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam hujus Urbis præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curia Nostre Prælati, univ-

Damnatio re-
laturum pro-
positionum.

Prohibitio de
iis, loquendi,
scribendi, aut
disputandi.

Damnatio
eius omnium
librorum, &
Manuscripto-
rum.

Damnatio, &
abjuratio Mo-
linos.

In-

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animarum nostrarum sollicitat, ut fovendis, promovendisque inter viros Religiosos vota sua Altissimo in Sanctitate, & Justitia reddere satagentes, Sacrarum, eisque ancillarum bonarum literarum studiis propensa charitate incumbamus, ac proinde ea, quæ consimili consilio statuta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, atque illibata persistant Apostolici munimur nostri præsidio libenter corroboramus.

§.1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Joannes de Suazo Procurator Provinciae Peruanae Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, quod cum alias Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita animadverterit in præfata Provincia Peruana nonnullis ab hinc annis numerum Fratrum valde excrevisse, ac plurimos ad præsens in illa esse, qui Studiorum curricula peractis, digni, & idonei sunt, quibus Magisterii gradus conferatur inter alia pro salubri, ac felici ejusdem Provinciae regimine decreta sub die 19. Mensis Novembris 1683, demandavit, ut in Capitulo Generali ejusdem Ordinis tunc proxime celebrando de numero Magistrorum ejusdem Provinciae augendo ageretur, ac subinde idem Capitulum Generale, ut debitus virtuti honor rependeretur, & Fratres præfate Provinciae congruis honorum præmiis ad Sacrarum, bonarumque literarum Studia amplectenda, & profequenda, alacriores, & ferventiores redderentur, re mature perpensa, atque discussa, ac dilecto Filio nostro Palatio Tituli S. Mariæ Transtiberim S. R. E. Presbytero Cardinali de Alteris nuncupato Ordinis prædicti apud nos, & Sedem Apostolicam Protectore approbante, inter ceteras pro dicta Peruana Provincia editas ordinationes, Senatium ejusdem Provinciae Magistrorum numerum (si ita nobis placeret) ad duodenarium imposterum extendendum esse sancivit, decretumque hac in re sub titulo pro Peruana Provincia §.11. edidit tenoris, qui sequitur, videlicet -- Quoniam præfata Provincia satis ampla, lateque extensa divino favente numine viris eximii abundat, quos debita præmiorum vicissitudine non decet esse destitutos, ac eadem Sacra Congregatio ad Capitulum Generale commiserit agere de augendo numero Magistrorum, declaratur, in Provincia Peruana duodecim imposterum futuros esse Magistros de numero, si Sancti, D. N. placuerit, habito respectu proportionata distributionis, itaut pro natis in Indiis, qui sunt in majori numero novem designentur Magisteria, & tria pro Hispaniis longe paucioribus.

Exordium.

Species facti.

A Congreg.
Reg. deman-
das fuit tot
Capitulo Gen.
nerali.

Decretum Ca-
pituli Genet.

Processus Pro-
curatoris Pro-
vinciæ.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio sub-
jungebat dictus Joannes Decretum huiusmodi
in præfato Capitulo Generali factum, ut firmiter
subsistat, & exacte servari valeat, Apostolicæ
confirmationis nostræ patrocinio communiti
plurimum desideret: Nos ipsum Joannem spe-
cialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes,
& a quibusvis excommunicationis, suspensionis,
& interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis,
censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis
occa-

Indulgentiarum convocando, ex alto tenore processus stante in suggestio eodem Michael de Molinos una cum sententia inde sequuta legeretur, & postquam idem Molinos habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto filio Nostri Sancti Officii Commissario, ut eum a censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta abolveret; quæ omnia in executionem dictæ Nostræ Ordinationis die 3. Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

§.2. Et licet supranarratum Decretum de mandato Nostro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominus ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum Nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inherentes, hac Nostra perpetua valitura Constitutione prædictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum supradictas propositiones diffinitive damnantes, & reprobantes, librosque, & manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos prohibentes, & interdicentes sub eisdem pœnis, & censuris contra transgressores latis, & insertis.

§.3. Decerentes insuper præsentem Literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: sique per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate; ac irritum, & inane quidquid fecus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Volumus autem, ut præsentium transcriptis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem protius fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§.5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, duodecimo Kal. Decembris Pontificatus Nostri anno duodecimo.

CXCII.

Confirmatur Decretum Capituli Generalis Ord. Eremitarum S. Augustini, quo Senarius numerus Magistrorum Peruanae Provinciae ad duodenarium extenditur.

Alia Decreta pro Provinciis Indiæ extant Constit. ed. 1680., Sept. 14. P. A. Const. ed. 1680. Aug. 8. P. 4., & Const. ed. 1688. Feb. 27. P. 12. Pro solis vero Magistris Inn. XII. Const. ed. 1690. Apr. 30. P. 1. Et Const. ed. 1692. Sept. P. 3.

Præfata omnia de novo confirmantur.

Clausula.

Dat. 22. Jan. 1688. An. 12.

suum principium redit, & ad suam originem, quæ est Dei, in qua transformata remanet, ac divinizzata, & Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt amplius due res unite, sed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in Nobis, & Anima se ipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio; & non oportet Deum cognoscere: & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet Anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de Morte, nec de Æternitate.

8. Non debet velle scire an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, nec ne: opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet Anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cuiuscumque rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflexere, dummodo non adit voluntas scandalizandi, & ad proprios defectus non posse reflexere gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur nec ne, non opus est reflexere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, cuius spem purgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in Nobis sine Nobis suam Divinam voluntatem.

14. Qui Divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra Divinæ. Et illud Evangelii *petite, & accipietis* non est dictum a Christo pro Animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem, imo huiusmodi Animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias querere pro peccatis propriis peccatis debita, quia melius est Divinæ Iustitiæ satisfacere, quam Divinam misericordiam querere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interestato nec est Deo res grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione Animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistencia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria, et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in Oratione utitur Imaginibus, Figuris, speciebus, & propriis conceptibus non adorat Deum in spiritu, & veritate.

19. Qui amat Deum, eo modo, quo ratio

argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Afferere, quod in Oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus Animam non alloquitur, ignorantia est, Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in Anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cuiuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per Fidem non est actus a Creatura productus, sed est cognitio a Deo Creatura tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse & idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem insulam, Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit, Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo, quod ipsa id expectet, ad contemplationem insulam, & hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo, quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in Oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei: imo eam perfectiorem efficiunt; quia Anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiam si superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus sit Oratio, & Contemplatio actualis, quia Oratio, & resignatio, resignatio, & Oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat, & Oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quarit Deum, sed se ipsum, & male agit, cum eam desideret, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit tam in locis Sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tadium rerum spiritualium bonum est: siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum Anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali est abominabile, spurcum, & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci, Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia

re.

requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis Animabus Internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia in ista continetur amor, qui modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria, Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei, alias sunt impulsus naturæ, nondum mortuæ.

33. Male agit Anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi, & idem dicitur de locis Sacris, quia huiusmodi Animabus omnia loca equalia sunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro Animabus Internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis, & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu Pater Noster recitare.

35. Non convenit Animabus hujus vitæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas ex propria electione, & activitate alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut humanitatem Christi, quia cum ista objecta sensibilia sint talis est amor erga illa.

36. Nulla Creatura, nec B. Virgo, nec Sancti federe debent in nostro corde, quia solus Deus vult illum occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam fugiosarum, non debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supra dicto amore, & resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & poenitentia quas peragunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab Anima vel unicam adhesionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad Sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus Animabus perfectis etiam non arreptiis, Dæmon violentiam causet in eorum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione movendo physice illorum manus, & alia membra contra eam voluntatem, Et idem dicitur, quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod huiusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum scilicet maris, & feminae, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit sanctos ministerio Dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non pec-

cavit labiis suis, quia fuit ex Dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus huiusmodi Dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit, *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Huiusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam Animam & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alias superest via. Et hæc est via facilior, & tutior.

47. Cum huiusmodi violentiæ occurrunt, sincere oportet, ut Satan operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, & etiam si sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam peiora, non opus est, se ipsum inquietari, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores, quia anima sit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime sit, non confitendo, quia hoc pacto superatur Dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satan, qui huiusmodi violentias infert, suadet deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via Interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia Dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo *mandas habebat ad Deum preces* (sic interpretando locum ex cap. 16, Job.)

50. David, Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis huiusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, Ut illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, conjugium inuit cum alienigena, & cum Dalila Meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent. De Juditta, quæ Holoferni mentita fuit, De Eliseo, qui pugris maledixit, De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel Dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquatur.

52. Cum huiusmodi violentiæ, etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc Anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, ne dum sunt protestationes Animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint Animæ, quæ proficiunt in via interna, sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia, & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo perveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit,

occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum presentium auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illudque executioni mandari debere decernimus.

§.3. Decernentes pariter easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in premissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necnon quatenus opus sit Provinciae, & Ordinis predictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis presentibus habetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die XXII. Jan. MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CXCIII.

Confirmantur quaedam Decreta Capituli Generalis Ord. S. Augustini, quibus prohibetur, ne Religiosi Provinciarum Mexicanae, & Mechoacanensis, soli, aut cum pallio, vel galero incedant.

De Decretis pro Provinciis Indiarum vid. precedentem Const. Pro duabus vero memoratis vid. Const. ed. 1692. Septem. 28. P. 3., & Const. ed. 1699. Septem. 5. P. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EX debito Pastoralis officii, quod inscrutabilis Divinae Sapientiae altitudo humilitati nostrae, viribus licet & meritis longe impari, imponere dignata est, paternam Christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiose confugerunt, curam peculiari charitate assidue ge-

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

Dat. 27. Febr. 1688. An. 12.

Exordium.

rentes, ea, quae pro felici, prosperoque illorum regimine, & gubernio provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter roboramus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, quod alias in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe nostra celebrato de anno 1673. pro Mexicana, & Mechoacanensi Provinciis ordinis praedicti edita, & facta fuerunt nonnulla decreta, seu ordinationes, tenoris, qui sequitur, videlicet: Decreta Capituli Generalis anno 1673. Romae celebrati edita specialiter pro Mexicana, & Mechoacan. Provinciis &c. modo sequenti, videlicet: Magister Frater Nicolaus Oliya Senen &c. Esti omnis gloria &c.

§.2. Quoniam vero audivimus in iustem Mexicana, & Mechoacan. Provinciis damnabilem irrepisse abusum, ut Religiosi nostri per Urbes, Oppida, perque loca, in quibus immorantur, dissociati incedant, pallium, & galerum deferentes. Idcirco Decreto resolutum fuit in Congregatione Diffinitoriali Capituli Generalis, ut stricte, & sub poenis infra exprimen. prohibeatur, prout nos tenore presentium prohibemus, ne aliqui ex Religiosis nostris praedictarum Mexicanae, neque Mechoacan. Provinciarum e Conventibus, etiam associati cum pallio, neque cum galero exire audeant, & per publicas Urbium, aliorumque locorum vias incedere, sine socio. Mandantes in meritum salutaris observantiae, & sub poenis privationis Graduum, & officiorum, aliiisque nostro, & successorum arbitrio reservatis, ut quoties Religiosis praedictis erit exeundum serventur praescripta Sacrarum nostri Ordinis Constitutionum, & postolata, atque obtenta a Patre Superiore licentia semper associati incedant, juxta Christi Domini exemplum, qui Apostolos, Discipulosque suos non solos, sed binos semper mittere consuevit. Romae die 2. Junii 1673., & sane Decretum contra usum pallii, & galeri pro praedictis Provinciis subinde innovatum, & confirmatum fuit in nupero Capitulo Generali ejusdem Ordinis in eadem Urbe celebrato de anno 1685. per aliud Decretum ibidem editum sub titulo pro Mexicana Provincia sub num. 10. tenoris qui sequitur: Innovatur, & confirmatur Decretum Reverendissimi Olivae contra usum pallii, & galeri, in Mexicana, & Mechoacanensi Provinciis.

§.3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, eorumdem Decretorum observantia in praedictis Provinciis hucusque neglecta fuerit, & de praesenti etiam negligatur, ideoque idem supradictus Procurator Generalis, quo illa firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolica Confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret: Nos ejus votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ipsi quoque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliiisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ac effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, pra-

Decreta praedicta edita, facta anno 1673. & 1685.

Proces Procuratoris Generalis.

Confirmatio relati Decretorum.

Clausula.

infera Decreta, & Ordinationes, auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§.4. Decernentes praesentia Decreta, & Ordinationes, ac easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtineri, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective, sub poenis in eisdem Decretis contra transgressores inflictis, inviolabiliter observari: Sicque in premissis per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum, & Ordinis praefatorum, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earumdem presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis presentibus habetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Januarii MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CXCXIV.

Dat. 13. Mar. 1688. An. 12.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc., & Reg. super executione Constitutionum Tertii Ordinis S. Francisci quoad Fratres Laicos, & Oblatos Provinciae Franciae.

De Oblatis vide Constitut. ed. 1681. Aug. 27. P. 5. Aliud vero Decretum Cong. particularis extat Inn. XII. Const. ed. 1693. Octob. 19. P. 3.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

ALIAS pro parte dilecti filii Benedicti Parisiensis Procuratoris Provinciae Franciae Tertii Ordinis S. Francisci nobis exposito, quod Superiore dictae Provinciae a pluribus annis ad hanc S. Sedem, recursum pluries habuerunt pro bono regimine, & receptione Fratrum tam Lai-

corum, quam Oblatorum, seu Servientium dicti Ordinis in eadem Provincia, & plures super hujusmodi negotio literae Apostolicae in simili forma Brevis expedite emanarunt, veram tamen exinde pacem, & religiosam tranquillitatem inter utrosque Fratres praefatos adhuc consequi non valuerunt, quandoquidem ex eorumdem Fratrum Laicorum, & Oblatorum differentia, alii etenim pileum, alii vero caputium deferunt, continua ferme dissidia inter eos exoritur, indeque humani generis inimico scissuras hujusmodi promovente, cum minorizelo exhibent Altissimo famulatum; Et in eadem expositione subjuncto, quod ad perturbationes praefatas praecedendas in postremo Provinciali Capitulo dictae Provinciae die 29. Maji 1686. celebrato, decretum fuit, idque ab omnibus vocalibus, nemine reluctante subsignatum, iterum ad nos recurrere, quatenus in posterum in praefata Provincia Constitutiones, & Statuta circa Fratres Laicos, tam praesentes, quam futuros, quoad eorum jura stricte observari, & Fratres Oblatos, qui nunc in eadem Provincia existunt ad Statum Laicalem assumi, cum privilegio gaudendi juribus Fratrum Laicorum, modo quartum professionis annum attigerint, ut in iisdem Statutis praefertur, mandarem. Et propterea Nobis humiliter supplicato, ut ad praenarratas controversias tollendas, quae novum adhuc paterna charitatis, & prudentiae nostrae praesidium exposcunt, praefata Capituli Provincialis petitioni annuere dignemur. Nos supplicem libellum hujusmodi ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum remissimus, a qua emanavit Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: S. Congregatio Eorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, attenta remissione Sigilli per S. S. D. N. facta, censuit circa praemissa servandas esse praedicti Ordinis Constitutiones Romae 15. Novembris 1686. I. Card. Carpineus - Loco Sig. B. Vancianicus Secretar.

§.1. Cum autem sicut praedictus Benedictus Nobis denuo exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione Apostolicae confirmationis nostrae robore communiti summopere desideret: Nos ipsum Benedictum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva semper in premissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter.

Decretum Capituli Provincialis pro recursum ad Pontificem.

Decretum Congreg. Episc. & Regul. de servandis Constitutionibus Ordinis.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.